

EXEGESIS.

§. I. Non sanè utriusque hujus Operis Doctrina supervacanea est. Etiam si enim in *Moralibus ad Nicomachum* graviter & copiosè *Moralis Doctrina* absoluta habetur: nec tamen unquam supervacaneum Philosopho erat, de rebus omnium pulcherrimis, maximeque ad vitam necessariis, sape differere: præcipue eō seculō, quo in Scholis Scriptores quidam habentur, non tam ad Rēmp. idonei, quam apud multos plausibiles. Quid ergo? Agit omnino Philosophus in *Magnis suis Moralibus* nunc generaliter de *Bono in communi*, qvid & qvotuplex sit: de *Virtutis habitu*, ubi sit situs, & in quo formaliter consistat; de *Actionum humanarum Principiis*, unde petenda sint: nunc specialiter, de *Virtutibus omnibus Moralibus*, cùm perfectis, tum imperfectis, qvædam etiam de *Voluptate & Felicitate*; qvædam de *Amicitia*, tanquam de Virtutum affectione primaria & affinitate, tradens: *Libri nempe I. PARTE PRIORI generalia, PARTE POSTER.*

toto-